DE NUMERO
ET ACHIVORUM TROIAM OBSIDENTIUM ET TROIANORUM IPSORUM

DISSERTATIUNCULA

QUAM

VIRIS DOCTISSIMIS AMPLISSIMIS

KAROLO METTE

PROFESSORI FRANCISCEI MATHEMATICES PRAECEPTORI

PER TRIGINTA SEX ANNOS MAGISTERIO IMPIGRE FUNCTO

IN HONESTUM NUNC OTIUM RECESSURO

ET

AUGUSTO KUEHNE

DOCTORI PHILOSOPHIAE, SUPERIORIS ORDINIS COLLEGAE,
POST ANNOS VIGINTI IN IUVENTUTE NAVITER ERUDIENDA CONSUMPTOS
VERBI DIVINI APUD BONENSES BONITIANOS PULSPHORDANOS
LUSOVIOS MINISTRO IAM RENUNCIATO

OPTIMIS VOTIS AC PRECATIONIBUS

D. D. D.

COLLEGAE SUPERIORUM ORDINUM SERVESTANI

INTERPRETE

THEOPHILO STIER
DIRECTORE [redacted]

SERVESTAE PRIDIE DIEM NATALEM GUILIELMI IMPERATORIS
1872.
FORMIS SITZENSTOCKIANIS.

De numero et Achivorum Troiam obsidentium et Troianorum ipsorum quaeritur.

Posteaquam nuper piam gratamque imperii Germanici die auspicatissimo auspiciis Guilielmi regis gloriosissimi instaurati memoriam nobiscum recoluimus, iam novissimis Ianuarii diebus non potuimus non recordari urbis istius, quae etsi propter ingentem vel etiam immanem amplitudinem omnes vel fortissimorum plurimorumque hostium conatus eludere videbatur, post vix tamen quinque mensium obsidionem ferro fameque a nostratibus est victa. Cui quidem obsidioni e sexdecim illis quas Parisiorum urbs perpessa est nulla videtur similior fuisse, quam qua anno 1594 eam iam tum propugnaculis undique vallisque quam maxime munitam rex ipse Henricus IV expugnavit. Sed multo deinde et vastiora et firmiora, quam fuerant turres a Ludovico Superbo a. 1670 remotae, urbi circumdata sunt munimenta ante tria fere decennia, suasore eo viro, quem ingenio magis quam statura inter cives suos eminentem nunc Francogallorum rebus scimus praefectum esse.

Unde quid mirum, si et moenium amplitudine et defendentium numero atque alacritate freta insolentissima Parisiorum gens, ut expugnari urbem posse crederent, ab animis nullo pacto impetrabant. Nos contra, dum et poëtae et homines docti antiquissima quaeque tempora recognoscentes animis, quotiens de unius urbis imperio populi inter se duo disceptaverint, quid est cur miremur, si, cum esset urbs capta, in libellis illis nomine Cladderadacii inaudito aliquando nunc in orbe notissimo insignibus poëta quidam, aliorum multorum quasi factus interpres, haec intonare non dubitavit.

1. Wie einst dem Peleïden zum Hohn
lang trotzte das heilige Ilion,
und lange der stürmenden Helden Gewalt
machtlos wie der Pfeil vom Felsen prallt —

4. So umklammert Germanias siegende Macht
die gallische Riesin bei Tag und Nacht;
manch deutschen Helden, heut jugendroth
— der Morgen ach fand ihn bleich und tot. —

6. *Doch es kam der Tag — des Sehers Mund*
that lange zuvor ihn dem Volke kund,
da des lanzenkundigen Priamos Haus
hinsank und die Stadt in Schutt und Graus. —

8. *Und der Tag ist gekommen — Victoria! —*
der Tag, der rächende Tag ist da,
der die gallische Riesin zu Boden warf,
von der Flamme gebändigt, vom Schwert so scharf.

(Kladd. 28. Januar 1871).

Sed si vati Homeri amantissimo licuit haec dicere, num nobis quoque, dum quae divino quodam spiritu ille inflammatus est ausus, sobria mente reputamus, eodem iure licebit Lutetiam Ilio, Germanis illam oppugnantibus exercitum comparare Graecorum?

Et Germanorum quidem recentissimi scriptores demonstrant initio quindecim fere fuisse μυριάδας (ut ipsum habeas numerum, 146986), quibus superbum illud Galliae caput, quod sibi centrum quasi videbatur orbis esse, obsidione cingere instituerint, post incremento quinque myriadum auctum exercitum; Graecos contra multo pauciores fuisse credere opinor consuevimus, urbes quoque tum munitas longe maiores esse visas quam fuisse. Sed num quicunque Homeri carmina legebant recte sibi, quantus Graecorum exercitus fuerit, cogitatione finxerint, in hanc inquirere quaestionem nobis eo magis videtur esse pretium operae, quoniam recentissimis temporibus quin his ipsis mensibus homines studiis Graecis dediti atque addicti, cum Anglis Americanisque nostri potissimum populares, loca illa quibus res ab Homero narratae gestae sunt, viserunt, dimensi sunt, exquisiverunt. Qua de re quominus accuratius cognoscamus, nemo nos obiciendo nonnisi fabulas antiquas a poëta suo modo in Iliade et repetitas et exornatas esse prohibebit. Non enim id nobis videtur agi, evenerintne revera certamina ab Homero celebratae, et quando illae res atque ubi evenerint, sed potius quo tempore Ilias et Odyssea qualis hodie exstant tales a Graecis quoque veteribus legebantur, quibusnam tum locis omnia et qua ratione facta esse legentes crediderint.

Quamobrem ut ab Henrico Schliemann viro doctissimo *) Homerum loco historici diligentissimi habente, quin quasi tachygraphi verba omnia ducum iussaque notis excepissent religiose haec posteritati esse tradita credente, longe dissentimus: ita cum I. G. Hahn equite Graecarum rerum peritissimo, praematura nuper morte nobis erepto, facere nullus dubito, qui in calce dissertatiunculae **) ita fere loquitur: *Der Sänger oder die Sänger der Ilias schmiegten die in der Troade an-*

*) *Ithaka, der Peloponnes, und Troia. Leipzig 1869. Mit 4 Lithogr. u. 2 Karten.* — Ab eodem nuperrime epistolae missae publici iuris factae in Ephemeridis Augustanae mantissis (*Augsb. Allg. Ztg.* 1870, 144. — 1872, 7).

**) *Die Ausgrabungen auf der Homerischen Pergamos. Leipzig 1865. Mit 4 Tafeln* 36 S. Eiusdem auctoris antea prodierunt: *Aphorismen über den Bau der Ilias und Odyssee Jena 1856. 84 S. — Proben Homerischer Arithmetik. Jena 1858. 96 S.*

siedelten hellenischen Formen arischer Ursagen den dortigen Ortsverhältnissen an," cet. Unde ne id quidem licebit quaerere, quantus aut Graecorum fuerit Troiam obsidentium numerus aut amplitudo urbis, sed quantum a legentibus audientibusve credi exercitum Graecorum fuisse quantumque Troiae vel Pergami circuitum poëta voluerit. De hacce iam re quaeramus accuratius.

Et primum quidem secundo, cui Boeotiae nomen est, libro duce gentes Agamemnoni quasi imperatori parentes enumerandae sunt; inspiciendae deinde alterae quae a Priami partibus stabant. Quae quo facilius inter se distinguantur, linea in chartis geographicis ex oribus Axii fluvii transverso Aegaeo ducatur ita, ut Con, Nisyron, Symen, Rhodon insulas a Caria seiungat.

Et illorum quidem qui Graeciam propriam incolebant gentes sive ordines enumerat septem: Boeotos, Minyas, Phocenses, Locrenses, Abantes, Athenienses, Salaminios — qui naves complebant 262; Peloponnesiorum deinde sex: Argivos, Mycenaeos, Lacones, Pylios, Arcades, Eleos — naves 430; insulanorum rursus septem: Echinadum incolas, Cephallenes, Aetolos, Cretenses, Rhodios, Symios, Coos — 214 naves; Thessalorum denique novem: Myrmidonum, Phylacensium, Pherensium, Thaumaciensium, Triccanorum, Ormeniorum, Lapitharum, Aeneanum, Magnetum — naves 280.

Universus inde navium numerus efficitur 1186 cum ducibus quater undenis, quem Ioannes Tzetzes vel versu exprimere metris illudente cunctatus non est (Prohom. 192): *ναυσὶν ἐν ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ χιλίαις ἑκατόν τε.* E recentissimis Nicolaïdes Cretensis *) vir sagacissimus, ubi duce Boeotia castra Graecorum quali fuisse debeamus arbitrari ingeniose explicuit, etiamsi et ipse quatuor omnes ordinibus disposuit, tamen, quo aptius inter se membra composita sint, Phylacenses ex quarto demptos ordine primi loco quinto collocavit. Iam quoteni in quaque navi socii infuerint quaerenti triplex respondendi via aperitur. Et Homerus quidem praeter Boeotorum naves, quas centenos vicenos complexas esse ait, atque Thaumaciensium, quibus quinquagenos dedit, de reliquorum numero prorsus tacuit. Qua ex re si quis quinquagenos tantum in illis quoque fuisse collegerit, quae post Thaumaciensium recensentur, reliquis omnibus vicenos et centenos: hos inveniet numeros:

$$\begin{array}{r} 1017 \times 120 = 122{,}040 \\ 169 \times 50 = 8450 \\ \hline 130{,}490 \end{array}$$

Contra si quis poëtae sic verba accipiat, ut 120 maximum omnium, 50 minimum indicare numerum credat: numero inter hos intermedio 85 posito dicat omnibus fuisse 85 × 1186 = i. e. ad 100,810. Et hoc quidem propius a veritate abesse ex Odyssea cum Iliade comparata magis etiam apparebit. Cephallenum naves ut in Boeotia ita in Odyssea quoque (ι, 159) duodecim nume-

---

*) *Topographie et plan stratégique de l' Iliade. Paris 1867 avec une carte,* P. 270. Vide pag. 131 sequ.

rantur. Quae quot socios comprehenderint, hac facile ratione computes. Ulixes ubi post acceptam a Ciconibus cladem litore cessurus est inhospitali, senis cuique navi minorem tribuit numerum; qua re totidem remiges navi cuique solitum esse dinumerare eum rursus monemur. Amisit autem hos:

apud Cicones (ι, 60) $6 \times 12 =$	72
Polyphemi gula (ι, 344)	6
Antiphatis (κ, 116)	1
omnino	79

A Laestrygonibus deinde 11 navibus cum suo quaque remigio deletis, in ea quae sola relicta erat tot restabant, ut, ubi in Aeaeam advectus insulam bipartito eam pervestigari a suis iussit, Eurylocho socios traderet viginti duo, totidem ipse retineret. Quadraginta igitur quinque praeter regem navis exstabant remiges. Unde, ut x litera eum qui in principio cuiusque navis erat numerum significet, simplex haec nascitur aequatio:

$$\frac{12\,x - 79}{12} = 45 \quad \Big| \quad 12\,x - 79 = 540 \qquad 12\,x = 619$$

$$x = 51 \text{ vel } 52.$$

Alii alia forsitan obicient. Primum, quod nobis quidem parum veri videtur esse simile, si post foedissimas Cyclopis epulas exaequari desitum esse numerum dixerit aliquis, simplicior nascetur aequatio:

$$x - 6 - 6 - 1 = 45 \quad | \quad x = 45 + 13 = 58.$$

Erunt etiam qui exaequatum utique numerum, sed, quoniam e navibus illis (duodecim enim cum eae essent, sex tantum milites perierunt) sex uno minorem quam antea numerum acciperent, sex pristinum retinerent, utrum navis regia plenis annumeranda sit an cavis (si naves licet componere mensibus) rectius nesciri contendant. Fingamus plenam fuisse: habebimus

$$x - 6\,(+\,1 - 1) = 45 \quad | \quad x = (45 + 6 =)\ 51.$$

Cava esto, contra faciemus ita computum:

$$x - 6 - 1 - 1 = 45 \quad | \quad x = (45 + 8 =)\ 53.$$

Utique paulo excessisse quinquaginta numerum patet pristinum, velut navium Thaumaciensium, quarum si duces singulos navibus addiderimus, 51 cuiusque erant. Hinc si profecti nos in principio socios posuerimus fuisse 12×50 milites cum 12 ducibus $= 612$: Ulixi a Ciconibus provehenti erant 540, a caprarum insula 534, a Laestrygonibus vel 44 vel 45.

Quae exposuimus omnia complexi numerum Graecorum cunctorum et centum milibus maiorem et minorem centum triginta fuisse milibus, ita ut vel proxime abesset ab exercitus illius numero, quo Parisios nuperrime obsideri coeptos esse supra demonstravimus, vere aestimabimus.

Iam et quo facilius, num Gallorum capiti Troiam liceat quodam modo comparare, intellegamus, et quia quae inter Troianorum numerum Graecorumque ratio

intercesserit non est ex re perspicere accuratius, in id quoque quaeramus, quantum fere Troianorum numerum poëta voluerit aestimandum.

Pauciores multo Graecis eos fuisse pluribus monemur locis. Cave decipiaris loco ϑ, 232; nam si Graeci, antequam Asiae litore potirentur, in Lemno insula navibus appulsis convivantes centenis se singulos ducenisve Troianorum pares fore iactabant, non numerum ostendere hostium, sed suam ipsorum virtutem volebant, venditatione usi recentissimae Gallorum (Figarianos dico potissimum) ante exortum bellum haud ita dissimili. Et in Boeotia quidem decem tantum et septem Troianorum ordines cum ducibus commemorantur, sex ex ipsa urbe cum adiacentibus regionibus, tres e regione cis Hellespontum sita, septem ex Asiae provinciis vel septentrionalibus vel orientalibus.

Aliter se locus habet ϑ 562. Mille ante urbem ignes incensi a Troianis erant, circa singulos viri fortes quinquageni consederant, totidem fere quot navium narrantur fuisse Thaumaciensium, aliorum. Cum igitur quinquagiens mille Troianos armatos ante urbem excubantes inveniamus, satis magnam inde urbis, si quidem pro incolis omnes illi habendi sunt, frequentiam colligere licebit, vel ter fere centena milia incolarum, si sextam omnium partem arma ferre potuisse ponimus.

Quod quominus verum esse arbitremur locus ab altera parte prohibebit ι, 384 accuratius inspectus; quo cum Thebas Aegyptiacas ob miram frequentiam appareat laudari idcirco, quia viginti milia essedariorum habuerint, vereor ut maiorem fuisse numerum Troiae Thebis ponere nobis liceat. Qua in re, quod illa πρὶν ἐλθεῖν υἷας Ἀχαιῶν multo fuisse numerosior dicitur, consulto hic neglesimus.

Sed quinquaginta illa milia armatorum cum incolas urbis complecti etiam socios ut putemus, alia causa accedit. Tanto enim plures poëta β, 124 facit Agamemnonem dicentem Achivos esse Troianis illis qui in urbe habitarent, ut, si in decuriis illi dispositi singulos ex Troibus ad ministrandum sibi potum acciperent, multae pocillatore indigerent decuriae. Significentur x littera Troiani ἐφέστιοι, y vero auxiliarii: ut maxime centum et triginta milia Graecorum fuisse fingamus, habebimus aequationem $10\ (x + y) = 130{,}000$. Quam ut e lege solvamus fieri non poterit, cum ne id quidem, maior littera x sit quam altera necne, compertum habeamus. Prius tamen veri similius dixerimus. Unde 7000 certe, fortasse plura etiam usque ad 10000; e quibus ut incolarum omnium numerum eliciamus, ubi sexiens duxerimus, habebimus 42000 — 60000 incolarum Troiae. Sin id quod supra propius abesse a vero diximus, tantum $10\ (x + y) = 100{,}000$ concesserimus: numeri inde nascentur 36000 — 54000.

Quod si ne his quidem fortasse contentus aliquis, qui peregrinatores nuper locum Troiae in campo Scamandri (*Mendere*) Rhoeteum inter et Sigeum promunturia profluentis invenisse sibi visos esse audierit, quaerat possitne e clivi circuitu moeniumve reliquiis, quot incolae olim fuerint, colligi: tantum abest, ut ex loco liceat numerum conicere, ut homines illi docti ex numero Troianorum, quantum fuisse eum arbitrantur, de loco urbis coniecturam fecerint.

Et Hahnius quidem, sagacissimus Troadis perscrutator, quamvis cum Forchhammero Nicolaïde *) multis aliis Pergamum in Balidagio, in Bunarbaschi (*Μπουνάρμπασι* *) Troiam fuisse sitam sibi persuaserit, vix unquam tantae amplitudinis urbem, quantam carmina Homeri videntur ostendere, illic esse potuisse concessit; ne plus quidem quam duo milia incolarum Schliemannus **). Unde hic inepte ait omnes iudicare qui alio loco Troiam esse collocatam perhibeant quam in monte *Hissarlik*.

Ex iis autem quibus Schliemannus sententiam tuetur causis cum pleraeque quod sciam refutatae iam ab Hahnio aliisque sint (inter quos ne prius Ludov. quoque Hasperum ***) virum amplissimum nominarem, casu quodam summopere iam doleo esse effectum), haec maxime speciosa mihi videtur, quod, quanquam Troiae campum a Iove totum e Gargaro conspectum fuisse poëta dicit, tamen e Bunarbasianis clivis Idae cacumina omnino conspici posse negat. Quod ille quo iure dixerit, viri regionum illarum periti videbunt. Esto tamen, nec ex Ida clivus ille Balidagio proximus nec e Bunarbaschi Ida conspicitur a mortalibus: quid quaeso quominus conspexerint impedivit deos? Quos quidem modo maioribus ab Homero modo minoribus describi corporibus praeditos pueris etiam decantatum. Quapropter nisi, ne risum moveremus in his quoque rebus decempeda utendo, verendum esset: sicut Mars, dicerem, vulneratus plethra corpore tegebat septem, ita nos quoque Iovis saltem 216 metrorum proceritatem fuisse fingamus oportet; quae si summo Gargari vertici (1752 mtr.) addiderimus, ex 2000 fere metr. altitudine despectasse deum inveniemus. Ex qua in Balidagium 280 inde stadiis distantem si posse despici viri trigonometriae periti negabunt (nec nisi montes e regione Balidagii in altera Scamandri ripa sitos emensi concedere poterunt): ut utique campum potuerit intueri, Iovem patrem *ὅο κράτος ἐστὶ μέγιστον* a poëta nonnullis etiam plethris auctum esse dicemus.

Quod vero ne ipsum quidem Balidagium Pergamo suffecisse Schliemannus ait, id ne nos moretur, nunc quidem satis habentes rem obiter tangere, cum spatium 999 mtr. quadr. (*areas* quas vocant decem) Ithacensibus Ulixis aedibus suffecisse dixerit, Balidagianam aream (100 lat. 190 long,) decem et septem vel undeviginti eiusdem amplitudinis domibus satis fuisse concedere debere illum ipsum contendimus. Nec plura postulamus; namque poëtam semper ulna vel regia vel metrica utentem descripsisse Priami aedes, quis est qui credat!

Quo posito concessoque, iam ne Bunarbasianos quidem clivos multo minores esse quam qui amplitudini in usum urbis postulatae respondeant, facile monstrabitur. Hahnius enim et Schliemannus, ut Hectoris Achillisque circa urbem ambitum imitarentur, ambientes eam quae fertur urbis aream, post duas hic horas, ille

---

*) Ita scribit N. Paranicas in ea qua rogum Troianorum inventum a se demonstravit epistula (*Νέα Πανδώρα, Ἀθήν.* 1860 pag. 264).

**) Cf. librum supra dictum in examen vocatum a B. Giseke in Leutschiani Philologi indice Jan. 1870 p. 35 sequ., nec non epistulas in ephemeride Augustana divulgatas, v. supra p. 3.

***) *Beiträge zur Topographie der homerischen Ilias.* Brandenburgi 1867 (programma).

post sesquialteram eo unde erant egressi revertisse se referunt; nobis nostrae urbis, 11000 incolas habentis, (ut est hortis distincta) suffecturae milibus quindecim, moenia quam proxime radentibus **tribus** horae **partibus** id confici posse constat. Duplus igitur Troiae quam Servestae ambitus.

Et huius quidem circumscriptionem (nam a circuli forma non adeo abhorrere Servestam **Mettii** v. d. docet ichnographia notissima) stadiorum 15; diameter 4,75 erit, radius (r) = 2,375; urbis amplitudinis duplae (i. e. 30 stadiorum) radius (R) = 4,75. Fingamus Troiae quoque non ita multo ambitum a circuli forma abhorruisse: ut $r^2\pi$ ad $R^2\pi$, sic 1 ad 4 erit, unde Troiam, cum quatuor partibus nostra sit urbe maior putanda, $4 \times 11000 (15000) = 44000 (60000)$ incolas comprehendere potuisse assecuti sumus.

Quamquam huic rei non adeo magnam tribuere vim voluerim; nam nec servorum quoque rationem habendam fuisse nos fugit et antiquioris structurae genus a nostro fuisse diversum. Id unum tenendum erit: Hectoris cum Achille de vitae summa certantis circa urbem ambitum si reputamus, minorem moenibus circulum effici aestimabimus, quam si numerum reputamus incolarum. Post quintam demum horam nos quidem ter ambulantes circa aream Bunarbasianam, unde egressi eramus, reverteremur; licet tribus partibus maiori credamus celeritate viros illos robustissimos usos fuisse (quanquam Achillem vulnere in genu accepto ut lentius incederet coactum fuisse scimus), namque *περὶ ψυχῆς θέον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο*: tamen cum plurimum circuitum, quantus Bunarbasiani est clivi tantum Troiae fuisse ponamus. Ita quo ampliorem urbem, ut armatorum sex milibus parem incolarum numerum comprehendi ab ea posse dicere liceat, fuisse statuerimus: eo longius opinor Achillis Hectorisque circa moenia cursus ab Homero expositus a probabilitate recedet. —

Sed haec hactenus. Sive cum H. Schliemanno faciemus, viro ut ob summum studiorum Graecorum amorem laudando, ita quid sit poëtae, quid non sit, parum intellegente, ad quos ab illo avocare legentes cupio, cum Hahnio aliisque hominibus aliquanto cautioribus deque interpretatione Homeri optime meritis: utique pugnae ab Achivis circum Troiam commissae, cuius loci iam ab Horatio (od. 3, 3, 40) qualia sunt, hodie ab subus lupis vulpibus suffossa refertaque viperis inventa esse puto, non indignae videntur fuisse quae cum Parisiorum obsidione recentissima compararentur. De qua dum narrant aequales, nos, qui carminibus illis a parvulis delectati sumus, multa quae illic legeramus rebus nuperrime gestis quasi illustrari laetamur, sive commeatum ingenti exercitui provideri legentes navibus cotidie Lemno advectis (*β* 721, *η* 467, *ϑ* 230), sive ductorum spectantes artificia, de quibus Nicolaides e Napoleoniana illa sententia *) exorso consilio librum supra laudatum composuit, sive denique neces innumerabiles ab Homero ad vivum depictae ita, ut oculis quasi videantur obversari, nos monent, quot nostrae quoque domus, nostra urbs, et schola ipsa iacturas fecerint adolescentium.

*) *lorsqu' on lit l' Iliade, on sent à chaque instant qu' Homère a fait la guerre.* Nicolaides l. l.

Sic vos illa, quibus per plura decennia cum schola nostra coniuncti fuistis, vincula nodosque iam soluturos, folium hocce prosequatur novissimorum, quibus una sumus usi, temporum recordationem in memoriam revocans.

Duas Tibi, Metti vir amplissime, commendaturi res eramus, et quod modo diximus per recentissimum magisterii Tui biennium urbem quasi helluatam esse laetitia, quam res summae praesentibus temporibus gestae praebebant, quae cum antiquissimis heroum compararentur dignissimae; et quam ne nos quidem, qui litteris potissimum antiquitatis operam damus, carere possimus numerorum arte, qua per 36 fere Tu annos discipulos nostros instituere impigre perrexisti. Iam e tot quidem annorum laboribus iure conquiescenti Tibi cum domestica liberorum nepotumque felicitas, tum et literarum studium et usus amicorum summam afferant delectationem per plures adhuc optamus annos!

Te vero, Kühni vir reverendissime, qui ut in omnium aetatum praeter Faustianam illam fabulis ita in lingua quoque litterisque Graecorum occupari solitus a pueris iam Maeonidae amabas legere narrationes, *ποιμένας λαῶν* et bellatores nobis et concionatores ostendentis, denuo Te, iamiam ipsum pastorem gentium (plebisve, uti aiebant mediaevani) factum libellus hic moneat, et pastorum quasi ordinem, cum antiquitate iam sanctus esset, sanctissimum esse factum illius iussu, qui caelo profectus, ut homines pro piscibus piscarentur, pascerent pro agnis, discipulos elegit; et in eadem Tecum morari urbe eos qui amicitia atque amore Vos persequi cupiant, nunc quidem faustissima quaeque vota pro domibus Vestris ac familiis, vel pro munere sacro peragendo vel pro laeto otii usu, nuncupantes.

Valete nobisque et scholae nostrae pergite favere.

Servestae pridie diem natalem Guilielmi Imperatoris Invicti a. MDCCCLXXII.

Theophilus Stier. Fridericus Hammer. Guilielmus Corte.
Franciscus Kindscher. Karolus Krause.